
GVIDO CHAMILLARD REGI A CONSILIIS ET LIBELLOR. SVPPLICVM MAGISTER

ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO DOMINO D.

GVIDONI CHAMILLARD,

REGI A CONSILIIS,

LIBELLORVM SVPPLICVM MAGISTRO, ET IN SVPREMA IVSTITIÆ EXEDRA COGNITORI GENERALI.

QVÆRENTI quem vindicem Medicinæ noſtræ ſuſciperem, inter cæteros mihi vnus occurriſti (Vir Illuſtriſſime) *quem fere omnes ſuum vindicem ſuumque Patronum ſenſere. Quid enim aliud in Magno Regis Conſilio omnium lites cauſaſque diſceptandò, quam jus ſuum vnumquemque recuperare curabas? Nec diuites benignius, nec pauperes aſperius excipiens, rigidus æquitatis cuſtos ac defenſor, & plebeiorum in nobiles audaciam reprimendo, plebeios quoque vindicando a nobilium vexatione, vere te Patronum exhibebas Catholicum. Nil ergo mirum cur hac dignitate abiens vnumquemque probum mærore affeceris incredibili, & eo communiori quo præſtabilior fuit eloquentia, quam Iuris Ciuilis prudentiæ conjunxiſti: quæ dotes in te tantæ ſemper illuxerunt, vt etiam ſpe ſua cadentes illas non potuerint non laudare, & quicunque periti tuæ litium diſceptationi interfuerant, vbi peroraras, Mineruam & Themidem vere & tutò in te conſediſſe ſæpiſſime exclamarint. Verumenimverò quem publicis rebus certè natum nouerat Rex inuictiſſimus, ad ampliora vocauit. Te libellorum ſupplicum Magiſtrum creauit, ſtatimque ſumma cum juriſdictione rei aquariæ & ſaltuariæ præfecit: vt quid in aquis, quid in ſaltibus, graſſante bello peccatum eſſet animaduerteres: qua prouincia diligenter te perfunctum Rex ipſe omnibus palam fecit, qui in illo ſelectorum judicum Collegio, quod ſummo & extraordinario jure dijudicandis peculatus, aliuſue criminis inſimulatis præpoſuit, Cognitorem Generalem te voluit eſſe: cum maxime ſibi perſuaſiſſet, te nullo diſcrimine in ipſorum mores animaduerſurum, qui jam æqua laude & obſcuris, & claris jura reddideras: nec fore quemquam qui adulationibus caperet ſapientiſſimum, vel qui muneribus integerrimum alliceret: ſed te conſtanter ac fortiter officium tibi mandatum præſtiturum. Hæc quidem momenta ſatis me hortabantur, vt tuo nomini hæcce theoremata Medica ſubjici curarem: ſed & hoc & amplius* (Vir Illuſtriſſime) *jam diu debere me tibi non diffiteor: vt pro tua ſingulari in fratrem ſollicitudine, ingenti in fratris filium munificentia, ſumma in me beneuolentia, promptiſſimoque me promouendi, ac cœptis meis laboribus fauendi ſtudio (quod ſatis declaraſti, cùm ad has velitationes palæſtricas vt accederem effeciſti) pro omnibus denique toti familiæ noſtræ collatis etiam nuperrime beneficiis, tibi gratiam aliquam referam. Hoc ergo grati erga te animi monumentum, qualecunque ſit, cum majus offerre non valeat, vt ſuſcipias obteſtatur.*

Tibi obſequentiſſimus & addictiſſimus CAROLVS MARTEAV.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS III. APRILIS.

M. FRANCISCO PAIOT, Doctore Medico, Moderatore.

An etiam poſt Variolarum eruptionem, venæ ſectio?

HVNC naſcentem placido lumine vidit ſummus Naturæ parens, qui numquam febrem eſt expertus: tam arcto & vix diſſociabili neceſſitudinis fœdere jungitur humano corpori; nulli ætati parcit, omnibus κοινότατον νόσημα. Illa calor eſt, non quiuis tamen valet eam excitare, vltra debitos limites & præſcriptos cancellos egrediatur neceſſe eſt, qui fixus & permanens non eſt, ſed fugax febris nomen non meretur, nec is pariter qui quamlibet corporis partem incendit, ſi Cor domicilium natiui caloris non attigerit: quod vbi accenſum, tum calor acer, pulſus plus æquo citatior, quandoque flammea vrina: cauſſa non alia nec diuerſa ab intemperie calida; ex ejus vi & efficientia ſummæ & præcipuæ differentiæ ſtatuendæ, ephemera, putrida, hectica; non leuis eſt momenti nec à Medicis ſpernenda quæ maligna ex putridarum genere dicitur, inter quas non vltimum locum obtinet illa quam κωνώπων ἀναδείγματα, ἐξανθήματα, ἐκθύματα comitantur.

IN putridarum genere Variolæ accenſendæ, quibus ſi quis impune defungatur, non queratur de ſua ſorte: hæ ἐκθύματα ſunt per totum corporis ambitum erumpentia, veteribus non ignota, febris ſynochi putridæ, malignæ, & quæ contagio diſſeminatur legitima ſoboles, numquam ſine febre, ipſique grauia aſſident ſymptomata; torquet ὀσφυαλγία, ὀδύνη νώτου, ὀδύνη ἐν τῷ λαιμῷ, πνοία ἐν τῷ ὕπνῳ & σκορδινισμός, recurrit nauſea, vomitus fatigat, tuſſis inanis quatit, rubore facies ſuffunditur, raræ manant per genas lacrymæ, Cerebrum ſopor occupat, quandoque σταλαγμός, qui ſemper funeſtus, tandemque ſanguis, non ob copiam, feruorem & tenuitatem, ſed malignæ putredinis labe inquinatus in venis diutius nequit coerceri, ſtatimque vel in primo febris inſultu, vel mox poſtea vi propulſus in cutem, commune corporis emiſſarium effunditur; ibique puſtulas rotundas, rubras, humore plenas excitat: his interim interiora non carent, quæ ſanguinea, carnoſa ſunt, veniſque copioſis referta vt plurimum inficiuntur.

VERE fortunati illi ægri, quibus efflorеſcunt & extuberant in cute Variolæ, vi naturæ noxium humorem ab vtili ſecretum, in eam exigentis: at plerumque erumpunt, putri humore ſuâ ſibi acrimoniâ & orgaſmo feroci eò viam moliente. Iacet quippe illa eruptione effœta natura, & à ſuis muniis circa noxios humores obeundis ſæuitiâ ſymptomatum auocatur, aut ſi quando recreatur, tamen non juuatur; humoris enim orgaſmus qui ad tempus poſt eruptionem Variolarum tranquillus videbatur, ſimulatus eſt, mox in furias, cùm in ſuppuratum vertuntur, jam agitur, & qui credulis ac imperitis pacem & ſalutem pollicebatur, rurſus bella mouebit, matribus ſæpe deteſtata, mortemque meditabitur. Iam non humoris etiam mitioris copiâ premitur æger, aut alienâ ejus qui fuerit infenſus qualitate laceſſitur, ſed nouæ ſemper putredinis diſcrimen impendet, propter humorem quem nequit natiuus calor ſuperare; ſicque efferus ille humor, ſuâ inſtabilitate & malignitate cùm naturæ coquentis conatus eludat, vel ſuâ pertinaciâ craſſus cùm fuerit & viſcidus, ei pellenti & ſuppurato ſtudenti morem non gerat, nec obſequatur, aut ſubito recurret ad intima, aut virides, nigras puſtulas, mali omnes ominis exhibebit.

ΙΣχυρὸν ϗ μέγαν βοήθημα Variolarum, non amuleta, quæ vere ſunt infantulorum crepundia, non veſicantia, non aurum quantumuis potabile, non Arabum diuitiæ, morbo plerumque operoſiores: vnicum tibi ſit venæ ſectio, cui reliqua tanquam leuis armaturæ præſidia famulentur. Hæc omnem mouebit lapidem, potenter refrigerat, euacuat quantum opus eſt, occluſas venarum ſcaturigines, cohærentes meatus & interdictam conſenſionem ſoluit, putredinem latius ſerpentem arcet, & ne, quam ferox humor ſingulis partibus minatur ruinam, tandem in principem conferat, feliciter auertit. Nulla ætas, nulla regio, tale remedium reſpuit, nec ſemel ſanguinem fudiſſe ſatis, tanta quandoque in venis ſubeſt putredo, vt ſit in ipſis ζωόγονος: toties id celebrandum, donec vaſorum putredini & febris incendio ſit proſpectum; hac arte leuata quæ corpus noſtrum regit natura, exonerataque eo quo velut ſarcina premebatur, non ægre quod reliquum eſt vincet, ſuique muneris non oblita, & coquet quod poteſt concoqui, & à vaſis majoribus partibuſque nobilioribus quaſi regiâ ſede ad minores venas, determinatumque habitum explodet quod poteſt explodi.

MVLTA tulit æger ante Variolarum eruptionem incommoda, plura tamen adhuc laturus, ſi poſt earum eruptionem imperitus Naturæ miniſter tunc temporis ferietur: neque enim defunctum illum morbo, nec extinctam febrem cogites: infida eſt illa euacuatio quæ non eſt critica, non ad vmbilicum morbum deduxit qui Variolarum eruptionem venæ ſectione promouit, ſi penetralia non ſint integra, & tantæ labis expertia: quod aſſequi difficile ſi naturæ in eruptione Variolarum hydræ modo renaſcentium, trepidanti, & earum pepaſmo inuigilanti, tanquam nouus Hercules, generoſo remedio non opituleris, & ſalutares ſuppetias non feras: eâ ſæpius vſurpatâ inteſtinorum detrimentum præcauebis, tuſſim, anginam, ſpirandi difficultatem ſedabis, comatoſos affectus omnes eludes: vno verbo, febrem jugulabis, ſicque perniciem minantes poſt variolarum eruptionem graues affectus, audacter & feliciter propulſabis, fugietque retro omnis Variolarum malitia, eam pellente venæ ſectione.

Ergo etiam poſt Variolarum eruptionem, venæ ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ægidius le Bel, Chirurgiæ Profeſſor.
M. Abrahamus Theuart.
M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Morin.
M. Carolus Patin.
M. Cyprianus Hubaut, Pharmaciæ Profeſſor.
M. Guido Patin, Profeſſor Regius.
M. Iacobus Theuart.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS MARTEAV, Laudunæus, fideliſſimæ Picardorum Nationis Procurator, A. R. S. H. M. DC. LXIV.